


Kern 228(1-33)







22
ERNESTI ANTONII
NICOLAI

FACULTATIS MEDICAE

H. T.

DECANI

PROGRAMMA PRIMUM

DE

CAUSIS PELLUCIDITATIS

PARTIVM CORPORIS HVMANI

PRAESENTIS ET SVBLATAE

DISSERTATIONI INAUGVRALI

IOANNIS FRIDERICI WILHELMI

ARNSTADIENSIS

DE

CONGESTIONIBVS

DIE XXII. SEPTEBRIS MDCCC LXI

HABENDAE PRAEMISSVM.



IENAE

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.





Corpus, per quod inter nos et alia corpora intermedium alia haec corpora videre possumus, dicitur pellucidum. Nunc nullam rem videre possumus, cuius radii lucis, siue habeat eos a se ipsa siue ab alio corpore, in oculos nostros non cadunt, id quod sine eorum motu fieri non potest. Corpus ergo pellucidum ita debet esse comparatum, vt radii lucis per id transire seu moueri possint. Cum vero radii lucis non per corpora materiam et partes corporum, nisi quatenus habent spatiola seu foraminula materia corporum propria seu partibus ea constituentibus non repleta, transire possint, corpus pellucidum eiusmodi spatiolis seu foraminulis praeditum vt sit necesse est, per quae radii lucis transire possunt. Particulae corporum, quae a toto suo non nisi magnitudine et figura differunt, vocantur similes seu homogeneae,

neae, quae vero praeter magnitudinem et figuram aliis quoque proprietatibus a toto suo differunt, constituentes vocantur. Illae easdem, quas earum totum, habent proprietates et non nisi corporibus homogeneis competunt, hae vero non item. Spatiola seu foraminula inter particulas corporis homogenei similes haerentia dicuntur interstitia, quae vero particulae similari insunt seu inter partes constituentes particulae similari haerent, pori vocantur. Partes enim similes constant ex aliis partibus simplicioribus, quae earum sunt partes constituentes, et inter has haerentia spatiola seu foraminula pori appellantur. Ego huic rei non immorabor, sed omnia ista spatiola seu foraminula corporis, per quae radii lucis transeunt seu moventur, nominabo interstitia. Nunc radii lucis moventur in linea recta. Interstitia ergo corporis pellucidi talem directionem, ut in linea recta se excipiant, habeant necesse est. Quicquid itaque interstitiorum alicuius corporis pellucidi in linea recta se excipientium coordinationem seu directionem tollit, illud huius corporis pelluciditatem tollit. Radii lucis non transeunt per corporum materiam et partes solidas, sed ab his reflectuntur secundum legem reflexionis corporum elasticorum. Si enim directe et perpendiculariter incidunt in particulas solidas, eadem recta et perpendiculari linea reflectuntur, si vero oblique in particulas solidas



impingunt, angulus reflexionis, quem radius reflexus cum plano contactus format, angulo incidentiae, qui a radio incidente oritur, aequalis et vterque in eodem plano est. Illud corpus esset perfecte pellucidum, per quod omnes radii lucis in superficiem eius incidentes transirent. Verum enim vero id fieri non potest, nam omne corpus partem quandam radiorum reflectit, et, si hoc fieri deberet, corpus perfecte pellucidum particulis carere et corpus esse desinere deberet. Corpus ergo perfecte pellucidum non datur. Interstitia corporis in linea recta sita admittunt quidem, sed non efficiunt transitum seu motum radiorum lucis per se, sed radii lucis penetrant in corpora, quatenus iis adhaerent et pro diverso adhaesionis gradu mutant suam directionem. Particulis igitur similaribus seu homogeneis interstitia formantibus, quoniam aequali gaudent gravitate specifica, radii ab omni parte aequali adhaerent gradu, hinc non franguntur, sed in linea recta progrediuntur et transeunt per interstitia in linea recta sita. Si vero particulae interstitia formantes sunt dissimilares seu heterogeneae, inaequali gaudent gravitate specifica et sunt specificè vel leviores vel graviores, radius ergo ex vna parte interstitii particulam offendens specificè graviolem, ex opposita vero parte particulam specificè leviolem, maiorivi adhaeret particulae specificè graviori, quam specificè leviori, movetur ergo



ergo a sua linea recta, id est, frangitur versus particulam specificè graviozem vel potius versus ista corporis interstitia, quae particulis specificè gravioribus sunt contigua. Spatii angustia plura proferre prohibet. Reliqua proxima prosequar occasione. Nunc enim mihi exponendum est vitae curriculum Nobilissimi Domini

C A N D I D A T I

IOANNIS FRIDERICI WILHELMI

ARNSTADIENSIS

quod propriis eius peragam verbis:

Ego IOANNES FRIDERICVS WILHELMI, Arnstadiensis, primam adspexi lucem Arnstadii decimo die Februarii anno trigesimo sexto seculi decimi octavi. Patrem veneror IOAN. CHRISTIAN. WILHELMI, Serenissimi regnantis Principis Schwarzburgici Confiliarium Aulicum et Archiatrum, nec non Archiatrum Serenissimae Viduae Schwarzburgicae, matremque ANNAM MAGDALENAM, ex stirpe WEISIANA ortam. Optimi hi parentes, quos adhuc colo, omnem navarunt operam, vt me non solum sanctissimis verae religionis christianae dogmatibus, sed etiam disciplinis aliis, quibus tenera aetas imbui solet, erudirent. Huncce in finem manuuctioni praeceptorum fidelissimorum Lycei, quod Arnstadii floret, me tradiderunt:





vbi praesertim per diligentes institutiones Viri clarissimi Rectoris OTTONIS ea addidici, quae ad humanitatem pertinent quaeque me postea aptum reddiderunt, vt ad altiora tendere potuerim. Cumque tenera in iuventute studium medicum maxime mihi placuerit, pater meus carissimus in variis medicinae partibus ipse me instruxit et fundamentum posuit, cui postea, auxiliante Deo, inniti potui. Praeparatus itaque ad studia altiora, peractisque annis, quae studiis humanioribus dicati sunt, parentum iussu primo ad Academiam Erfordiensem anno MDCCLIII. me contuli; vbi a Magnifico ibidem Rectore HIERON. FRID. SCHORCH Prof. Iur. Publ. et Consil. Regiminis in numerum academicorum sum receptus. Ibi venerandi mei praeceptores fuerunt Excellentissimus Medicinae Professor IO. HIERON. KNIPHOF et IO. CHRISTOPH. RIDELIVS, Med. Prof. publ., a quibus insignes cepi fructus. Doctissimus KNIPHOF me docuit institutiones medicas, physiologiam, pathologiam, chirurgiam et materiam medicam, RIDELIVS nunc beate mortuus erudit me in Anatomia et Semiotica: interfui quoque singulis eius sectionibus cadaverum. Hisce finitis valedixi musis Erfordinensibus et me in patriam contuli, vbi patri opem et auxilium in praxi tuli, qui mihi acquisitas medicas scientias ad praxin applicare docuit.



cuit. Verum enim vero, vt peritus evaderem medicus, aliam Musarum sedem frequentavi et anno MDCCCLIX. in hancce academiam illustrem me contuli, vbi civium academicorum numero me adscripsit Perillustri Consiliarius cameralis intimus CAROLVS FRID. KALTSCHMIED, tunc temporis scepra academica tenens. Magno honori et fortunae mihi duco, quod Virum hunc Perillustrem atque Excellentissimum anatomiam solide explanantem auscultaverim, eum cadaver masculinum nitide secare eiusque partes solide demonstrare viderim, eiusque praelectiones publicas frequentaverim. Porro Virum Illustrem et Excellentissimum Consiliarium Aulicum h. t. Rectorem Academiae Magnificum et Facultatis medicae h. t. Decanum Spectatissimum, Patronum ad cineres vsque colendum ERNEST. ANTONIVM NICOLAI praeceptorem fidelissimum habui in arte formulas medicas legitime concinandi, pathologicis, praxi, et morbis veneris recte curandis. Mente gratissima agnosco magnam illam utilitatem, quam ex collegiis Viri Excellentissimi atque Experientissimi IO. FRID. FASELII percepi. Interfui praelectionibus eiusdem habitis physicis, medico-forensibus, de arte obstetricia et practicis de morbis infantum curandis. In chymicis tam theoreticis, quam practicis veneror Doctissimum atque
Ex-



Experientissimum Doct. FVCHSIUM praeceptorem, quem non parvo audiui eum fructu. In Philosophicis Consultissimum Iuris Doctorem IO. NICOL. MOECKERTVM logicam solide tradentem magno cum fructu audiui.

Haftenus ille. Optimis igitur litterarum studiis et scientiis medico scitu necessariis eumque ornantibus satis superque instructus petiit ab ordine meo, ut in numerum Candidatorum reciperetur et ad consueta examina admitteretur. Haec rogata impetravit, et, cum examina cum laude sustinuerit atque in iis eruditionem suam probaverit, ab ordine meo ipsi concessum fuit et decretum, ut sub meo Praesidio dissertationem suam de congestionibus publice die XXII. Septembris horisque locoque consuetis defenderet. Ut vero actui huic maior splendor et dignitas concilietur, Magnificum Academiae Ex-Rectorem, Patres academiae Venerandos, Hospites omnium ordinum Honoratissimos ac Commilitones Generosissimos Nobilissimos et Doctissimos ea, qua decet, observantia et humanitate collegii mei nomine rogo, ut honorifica et exoptatissima sua praesentia hunc actum ornare et splendidiorum reddere non dedignentur. P. P. die XIX. Sept.

M DCC LXI.

(L. S.)



1018

PICA





tum curandis, methodoque me-
icis tam theoreticis quam pra-
eror doctissimum atque expe-
tuchsum, cujus in me studium
oscam.

i successu et laudabili modo stu-
petiit ab ordine meo, vt in nu-
ciperetur & ad examina admit-
m fuit, atque in examinibus no-
tia fecit et conditionem Graec

22
ERNESTI ANTONII
NICOLAI

FACULTATIS MEDICAE

H. T.

DECANI

PROGRAMMA PRIMUM

DE

CAUSIS PELLVCIDITATIS

PARTIVM CORPORIS HVMANI

PRAESENTIS ET SVBLATAE

DISSERTATIONI INAUGVRALI

IOANNIS FRIDERICI WILHELMI

ARNSTADIENSIS

DE

CONGESTIONIBVS

DIE XXII. SEPTEMBRIS CID IOCC LXI

HABENDAE PRAEMISSVM.



IENAE

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

